[illegible]

1827

J. F. Swetse

EXAMINIS PUBLICI

OMNIUM REGII GYMNASII ORDINUM

SOLEMNIA

IN DIES XXVIII. ET XXIX. SEPTEMBRIS

HORIS ANTEMERID. VIII — XI. ET POMERID. II — IV.

OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA

INDICIT

IOANNES FRIDERICUS SACHSE

GYMNASII RECTOR.

PRAEMISSA EST

IO. FRIDERICI KESEBERGI PHILOS. DOCTORIS

DE CENSORIBUS ROMANORUM

COMMENTATIO.

QUEDLINBURGI

TYPIS BASSIANIS.

M DCCC XXIX.

Quanquam historiae et antiquitatum studium nostris temporibus permagnos fecit progressus et imprimis Romanorum historia summa unius viri diligentia explorata est, ut de hoc litterarum genere aliquid scribere vel temerarium videatur: etsi, quod ad antiquitates attinet Romanas, multa, quibus nostra aetas longe superet antecedentia saecula, prolata sunt: tamen singula capita non semper ea, qua opus erat, copia sunt tractata. Exstat quidem et de *Censoribus*, ut, quid velim, videatis, libellus a Iarckio diligenter scriptus: »*Versuch einer Darstellung des censorischen Strafrechts* —«: attamen plura huic libro insunt, in quibus animus meus dissidet ab auctoris sententia. Nec vero propositurus sententias meas illum reprehendere et contra eum ausim pugnare, sed ipsa res et antiquitatum studium, quod mihi semper fuit voluptati, animum meum incitat, ut verum perscrutari summopere studeat. Quanquam non raro fit, ut id ipsum, quod quisque sibi habeat persuasissimum, ab aliis certissimarum ope rationum prorsus refellatur atque evertatur. Quod quum ita est, quid voluerim potius, quam quid praestiterim, alii reputabunt. *Homo* enim *sum*, ut cum Chremete Terentii loquar, *humani nihil a me alienum puto.*

Ante autem quam ad ipsam quaestionem de censoribus Romanorum accedo, diligenter distinguendi sunt magistratus ordinarii et extraordinarii, (alias autem magistratuum distinctiones praetermittere possum). Video enim varias doctissimorum hominum et discrepantes sententias, cui generi censor sit annumerandus, ordinariis an extraordinariis. Ordinarii igitur sunt ii, qui statis temporibus certoque ordine observato rempublicam gerebant, vel, quibus populus Romanus, nisi qua res gravior accidisset, utebatur, quales sunt consules, praetores, aediles, tribuni aliique, quibus mea quidem sententia iure etiam censor annumeratur. Ordo enim, a quo illi nomen acceperunt, eodem modo in censore creando observabatur. Quemadmodum enim consules ac relicui magistratus ordinarii omnes, de quibus lis est nulla, per unius anni spatium tantummodo rempublicam gerebant, quo praeterito se abdicare debebant, sic etiam censores quinto quoque anno instituebantur, omninoque hoc in magistratu idem, qui in aliis, quos ordinariis adscribimus, mos valebat et consuetudo. Quid igitur est, quod, quo mi-

1

nus ordinariis magistratibus annumeremus, impediat? an fortasse id, quod non semper ac perpetuo in republica fuerint? At id ordinem quidem turbat, minime vero tollit. Quis enim unquam consules in extraordinarios magistratus retulit, quanquam, ut creatio eorum non longius solum produceretur, verum etiam interpellaretur et plane negligeretur, non raro factum est. Tum sententia illa ne ab omni quidem parte vera est. Constat enim censu finito primis certe temporibus censores non abdicasse se magistratu, sed per quinque in eo fuisse annos. Paullo enim post censores institutos, ut potestas eorum annua tantum et semestris esset, lege cautum est. cf. Liv. 9, 33., qui hanc ob caussam *quinquennalem* nominat censuram. Itaque de mea quidem sententia censor in ordinariorum magistratuum numero referendus.

His breviter expositis, cum de prima census institutione, tum de censoribus dicere eorumque munera, quae ad cives spectabant, et censurae interitum sub imperatoribus consilium est paucis delineare.

Censum regiam esse institutionem, non opus est pluribus demonstrare. Servius enim Tullius, qui multa reipublicae utilissima fecit instituta, eum quoque primus in civitatem intulit, quod scriptum videmus apud Liv. 1, 42. aliique scriptores probant. Censebatur autem universus populus ita, ut cives nomina sua et uxorum liberorumque, servorum et libertinorum darent, adscriptis etiam aetatis annis et parentum nominibus, bonaque sua et domicilia eorumque situm in urbe et praedia omnia designarent. cf. Dion. 4, 15. Quibus rebus aestimatis instituit, ut pro census ratione tributum penderetur. Antea enim, ut Livii verbis 1, 47. utar, *communia erant opera* et per capita viritimque tributa conferebantur. Ne tamen quis in opibus indicandis uteretur fraude, gravi poena ii sunt multati, qui aut plane manebant incensi aut rationes facultatum suarum non rite edebant; virgis enim caesi sub hasta vendebantur, boneque eorum quasi eius, qui se ipsum libertate indignum iudicasset, publicabantur. cf. Dion. 4. p. 221. Quod idem etiam postea in usu fuisse Cic. pr. Caec. c. 34. probat. Huc referendum est id, quod Liv. 1, 44. dicit, censum metu legis de incensis latae cum vinculorum minis mortisque esse maturatum. Mors enim, ut recte iam interpretes ad illum locum notarunt, non proprie est intelligenda de discessu animae a corpore (Cic. Tusc. 1, §. 18.) sive de vera et naturali morte, quam Horat. ep. 1, 6. 79. ultimam rerum lineam nominat, sed cogitanda, ut ita dicam, civilis, quae in maxima mediaque capitis deminutione cernitur. Is enim, qui libertatem civitatemque perdidit, homo esse in republica desinit et cum mortuo apte comparari

potest. Quemadmodum enim, quum dira naturae necessitate corpus opprimitur et ab animo disiungitur, omnia ea, quae cum animo corpus sociabant, dissolvuntur, homo e vita discedit, familiaritates necessitudinesque disrumpuntur omnes: sic, qui libertate civitateque privatur, ex ea, quae ipsi antea cum republica fuit, coniunctione excedit, ac vincula, quae civem civitati annectebant, solvuntur. Hinc exsules diem, quo restituti sunt, natalem suum vocabant, veluti Cic. p. red. in Sen. c. 11. cf. epp. ad Att. 4, 1.; et Cotta apud Sall. in fragm. hanc ob caussam se bis genitum nominat. Ita et Athenienses patriae restitutos exsules δευτεροπότμους appellasse observavit Io. Fridr. Gronov. in Diatr. ad Stat. Papin. cap. 12. p. 69.

Ut vero planius et uno quasi obtutu vires facultatesque totius civitatis cognosceret, Servius Tullius (ad quem mihi redeundum est) omnes cives in classes divisit, quas in centurias distribuit. Quo de classium numero non una exstat inter eruditos sententia; alii enim Dionysio l. 7, c. 59. auctore sex a Servio esse institutas contendunt. At verior et magis probata videtur mihi aliorum existimatio, qui quinque tantum populi fuisse classes arbitrantur. Livius enim, ubi de hac Servii institutione loquitur l. 1, 43. quinque nominat, quibus enumeratis haec addit: »hoc minor census reliquam multitudinem habuit: unde *una centuria* facta est, immunis militia.« Idem ostendit Tubero apud Gell. 10, 28. probatque Liv. 3, 30., quibus addere licet Asconii ad fragm. Cic. pro Cornelio verba haec: »ceterum quidam non duos tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos singulos ex singulis classibus,« et Sallustii ad Caesarem, qui C. Gracchum promulgasse inquit, ut ex confusis *quinque classibus* sorte centuriae vocarentur. Inde vero apparet, quod alio modo prorsus obscurum est, cur primo quinque tribuni plebis sint creati singuli ex singulis classibus. Quadrat enim egregie ille numerus ad nostram modo propositam sententiam: quanquam et veterum et recentiorum sunt nonnulli iique non parvi momenti scriptores, qui duos tantum tribunos primo creatos esse statuunt. Ex recentioribus vero Niebuhrium, cuius sententiam non satis possum perspicere, nominare lubet. Dicit enim in libro historiae Romanae praestantissimo part. 1. p. 646: »*Darüber sind eigentlich alle Angaben einig, dass anfänglich nur zwei Tribunen waren;*« et p. 647. alteram de quinque tribunis probare videtur sententiam hisce verbis: »*Denn die fünf Tribunen waren jeder aus einer der fünf Classen erwählt. Repräsentanten der einzelnen Classen sind nothwendig von jeder erwählt worden.*« cf. p. 470. Priore autem loco affert vir Ill. veterum testimonia, Dion. 6, 89. scilicet, Livium, Cic. p. Corn. et de rep. 2, 34. aliosque scriptores. At Dionysii

verba rem non modo firmant, sed refellunt etiam, ut equidem arbitror. Dicit enim, ut ipsa laudem verba, *νεμηθεὶς δ' ὁ δῆμος — ἀποδεικνύουσι τοὺς περὶ Λεύκιον Ἰούνιον Βροῦτον καὶ Γάϊον Σικίννιον Βελλοῦτον — καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Γάϊον καὶ Πόπλιον Λικιννίους καὶ Γάϊον Ἰουσίλλιον Ῥιουγανόν. οὗτοι τὴν δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες κ. τ. λ.* Quo autem alio modo haec verba explicari possint, nisi uno eodemque tempore quinque tribunos esse institutos, (diversum enim non indicatur,) equidem non video. Deinde Livius 2, 58. illam sententiam verbis reprobat manifestis, *perinde ac duo antea fuerint.* Tum non est praetermittendum, a. u. 297. decem tribunos esse creatos binos ex singulis classibus. Omissa enim et neglecta de quinque tribunis existimatione, nullam video rationem, qua decem illorum creatio sit facta, quum probata ea omnia sint luce clariora. Restat, ut Ciceronis verba de rep. 2, 34. aut nostra cum sententia, quantum fieri potest, coniungamus aut refellamus. Haec enim habet: »quo tum consilio praetermisso, caussa populo nata est, duobus tribunis plebis per seditionem creatis, ut etc.,« neque ulla est dubitandi caussa, quin de duobus tribunis loquatur. Difficultas autem omnis tollitur, quum animum attendimus ad vocem *tribunus*, quae proprie tribubus praefectum magistratum significat earumque ducem, tum omnino ducem et praefectum. Equidem iam arbitror, Ciceronem, quoniam duobus viris ducibus plebs in montem sacrum secessit, hos *tribunos* cum magistratu illo, qui post reversionem in urbem creatus sit, commutasse; eos autem una cum tribus aliis tribunitiam potestatem suscepisse.

Sed redeo, unde oratio deflexit. Tantum enim vidimus, a Servio censum esse institutum, quo perfecto lustrum condidit et populum dimisit. Lustrum autem est, quemadmodum Varro L. L. 5, p. 54. scribit, nominatum *tempus quinquennale a luendo h. e. solvendo, quod quinto quoque anno vectigalia et ultro tributa per censores persolvebantur.* Quam sententiam falsam esse, quis non intelligat? Lustrum quidem derivatur a verbo luere, quod proprie significat lavare, tum vero persolvere; caussa vero, quae additur, prorsus est aliena. Multo enim prius lustra sunt condita, quam vectigalia et tributa persolvebantur. Deinde, quod summum est, illa explicatione totius actionis tollitur atque exstinguitur finis, qui, nisi religiosus, nullus erat. Est enim sacrificium expiatorium, quo luerentur, abluerentur impuritates a sceleribus contractae (Gesn. Thes.), et de populi lustratione intelligendum. Ita Festus: lustrum nunc significat tempus quinquennale, nunc populi lustrationem. Similiter Servius in Aen. 1. v. 287.: lustrum autem dictum, quod post quinquennium unaquaeque civitas lu-

straretur. Illud vero expiandi caussa esse conditum et sacrificium purgatorium fuisse, etiam magis eo firmatur, quod trium hostiarum fiebat immolatione. Dion. enim dicit 4, 22.: καθαρμὸν ἐποιήσατο ταύρῳ καὶ χοίρῳ (sic enim legendum esse alii iam viderunt) καὶ τράγῳ i. e. tauro et porco et hirco, quod sacrificium scriptores Latini uno nomine *Suovetaurilia* appellant. Quamvis enim multi grammaticorum veterum auctoritate ducti alteram scripturam Solitaurilia tueantur et defendant, mihi tamen nomen rei non videtur aptum nec significat, quod erat significandum. Sed audiamus grammaticos. Charis. 1. p. 84. haec habet: »suovetaurilia quidam putant dicenda a victimis, sue, ove et tauro: sed Valgius de rebus per epistolam quaesitis solitaurilia dicta esse ait: tauri autem nomen pro omnibus maribus sumptum esse.« Cf. Cic. Orat. 2, 66., qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit et *taurum* immolavit. Festi haec sunt praecipua: solitaurilia hostiarum trium diversi generis immolationem significant, tauri, arietis, verris, quod omnes eae solidi integrique sint corporis a sollus vel solus, quod Osce totum et solidum significat, quia harum hostiarum inviolati sunt tauri, quae pars scilicet caeditur in castratione; nam vervecibus et hircis mos erat abscindi, quum immolarentur. Sunt quidem qui putent, ex tribus hostiis praecipue nomen inclusum cum solido tauri, quod amplissima sit earum. Quidam dixerunt, omnium trium vocabula confusa suis, ovis, tauri effecisse, ut uno modo appellarentur universae. Haec ex Festo. cf. Gesn. Thes. et Forcell. At quum constet, sacrificium illud ex tribus victimis constitisse, quod ne illi quidem negant, hoc mihi videtur satis firmum argumentum, nomen a re esse faciundum, praesertim quum nullo modo fieri possit, ut suovetaurilia et solitaurilia eandem habeant notionem, quod quidem grammatici isti contendunt. Illud enim significat, si dictu fas est, immolatas esse tres victimas, hoc tantummodo tauros sive solidos sive integros inviolatosque mactatos indicat, neque probari potest, quod Ascon. ad Cic. Divin. in Caecil. 8. vult, a tribus particulis verborum sue, ove, tauro nomen compositum esse. Deinde non est praetermittendum, multis in locis optimos MSS. exhibere scripturam suovetaurilia et in loco Quint. 1, 5. 67. sic est legendum, nisi si solitaurilia pariter atque alterum vocabulum explicaremus. Dicit enim, *suovetaurilia* esse ex sue, ove et tauro persuasum est. Denique nostram vocis formam confirmat apud Gruter. inscript. p. 121, 1. HUIUS OPER. PERFECTI CAUSSA LUSTRUM MISSUM SUOVETAURILIB. MAIORIBUS. Nec vero hoc modo populus solum lustrabatur, verum etiam agri et exercitus (Virg. ecl. 5. v. 75; Tacit. Ann. 15, 26.), ut hostiae ter circum rem lustrandam circumagerentur et

tum immolarentur. Varro R. R. 2, 1. 10. populus Romanus quum lustratur, circumaguntur verres, aries, taurus. Inde fit, ut lustrare significet circumire, ambire, cuius rei sexcenta inveniuntur exempla. Iam quum populus quinto quoque anno lustraretur, lustrum tempus quinquennale significat. Ovid. Am. 3, 6. 27: Troia fuit lustris obsessa duobus; de A. A. 3, 15. est pia Penelope, lustris errante duobus Et totidem lustris bella gerente viro. Egregie igitur falluntur ii, qui hoc cum Graecorum olympiade comparant, quae et a scriptoribus Romanis et nostri temporis viris eruditis non raro commutata sunt. »Censor. enim de die nat. c. 18. quum dixisset de olympiadis quaternum annorum circuitu, addit, idem tempus anni magni Romanis fuit, quod lustrum appellabant. At quum certum sit, olympiada fuisse quatuor annorum, mirum est, illam a Censorino cum lustro comparari. Sed de olympiade non minus fluctuabant Latini scriptores, quum non satis attenderent, aliud esse *quinto quoque anno ineunte* celebrari i. e. quatuor interiectis, aliud *quinque annos completos* continere vel post *quintum annum absolutum* celebrari: illud in olympiada convenit, hoc in lustrum, quod quinque annorum plenorum esse, dubitari non potest. Haec Gesnerus in Thes. Itaque non satis recte Ovid. Pont. 4, 6. 5. dixit: in Scythia nobis quinquennis Olympias acta est. cf. Trist. 4, 10. 95. seq., ubi poeta se quinquaginta annos natum esse demonstrare vult.

Haec autem habui, quae de Serviano censu dicerem. Iam quum exactis regibus omnia fere eorum munera ad consules venirent, etiam census ab iis actus est, quod et Livius et Dionysius probant. cf. Liv. 3, 3. 9; 3, 22. 1.; Dion. 6, c. 96.; et 5, 75. commemoratur census, quem habuit dictator. Quum vero census propter frequentiam negotiorum multitudinemque, quoniam consulibus tota fere respublica erat administranda, per multos annos esset neglectus, peculiares huic rei magistratus creare, utilius visum est. Dionysio enim teste l. 11, 63. census per septem et decem annos erat neglectus inde a Fabio Vibulano et L. Cornelio Maluginensi coss., qui censum fecerunt et lustrum idque ab origine urbis decimum condiderunt. vid. Liv. 3, 22. et 24. Itaque censores instituti sunt, quod factum legimus apud Liv. 4, 8. anno urbis 311. Dicit enim haec: »hunc annum, qui est trecentesimus decimus a. u., ut scriptor cap. 7. narrat, sequitur annus haud dubiis consulibus. Eundem autem annum etiam Dion. 11, 63. indicat; alii vero alium censurae annum natalitium constituunt. cf. Cic. ad Fam. 9, 21. Itaque hic annus censurae est initium primique censores instituti sunt L. Papirius et L. Sempronius. Nomen autem, ut Livius dicit, ab re acceperunt.

Censere quidem primum est putare et quid putemus, verbis demonstrare; sic Festus: »censere nunc significat putare, nunc suadere, nunc decernere«: saepius autem coniunguntur censere et arbitrari, ut apud Non. 12, 5. legimus. Censere, inquit, et arbitrari veteres cognatione quadam socia ac similia verba esse voluerunt; laudatque Varronis locum: »censor, ad cuius censionem i. e. arbitrium censeretur populus; itaque, quod hos arbitros instituerunt populi, censores appellarunt: idem enim valet *censere* et *arbitrari*.« At quid enumerem omnes huius vocabuli significationes, quas probe Gesner. in Thes. explicat? una vero, quae ad nostram pertinet rem, non est praetermittenda. Idem enim est, quod Graecorum ἀποτιμᾶν, aestimare opes cuiusvis generis et pro iis vel locum in civitate assignare vel, quantum quis reipublicae sustentandae administrandaeque caussa conferre debeat, constituere. Nec vero opes solum censores aestimarunt, sed mores etiam, quorum censura, quin munerum eorum pars fuerit praecipua, non dubitari possit. cf. Cic. de legg. 3. §. 7.; Liv. 4, 8., qui haec habet: »idem hic annus censurae initium fuit, rei a parva origine ortae: quae deinde tanto incremento aucta est, ut *morum disciplinaeque Romanae* penes eam regimen, senatus, equitumque centuriae, decoris dedecorisque discrimen sub ditione eius magistratus, publicorum ius privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent.« Cuius loci, quum interpretes non consentiant inter se, diligentius verba nobis sunt consideranda. *Morum* enim *disciplinaeque regimen* quando censoribus traditum sit, non una est eruditorum sententia, quorum alii scriptorem, ut est apud Iarckium p. 5., intelligunt, non ad censum solum magistratus esse creatos habendum, verum novum etiam officium, morum scilicet disciplinam, ad munera eorum accessisse. Dicit autem Livius, anno trecentesimo decimo primo, quum iam populus per multos annos incensus esset neque consules propter bellorum frequentiam censum agere possent, ortum esse magistratum, cui census actio tradita esset. Censura igitur neque hoc anno nata est nec nova fuit institutio, sed a Servio Tullio creatam, saepius a consulibus actam esse antea vidimus, qui quum non sufficerent huic rei, censores sunt instituti iisque praeter cetera munera morum censura mandata. Haec igitur cum censu, qualem Servius egerat, non coniuncta fuit. Consules enim et quiqui censum habebant, nimis aliis erant rebus occupati, quam ut cum aestimatione facultatum morum censuram coniungere potuissent. Quodsi factum esset, non intelligo, cur nunc demum eius rei scriptores mentionem fecerint. Iarckio vero, *incrementum* in Livii loco tantum ad ius publicorum privatorumque locorum et ad vectigalia esse referendum

illudque ab initio ad eos non pertinuisse putanti nullo modo assentiri possum. Livii enim verbis ea verborum structura non indicatur, imo omnia, quae enumerantur, hoc modo sunt nexa, ut ne ullum quidem illius sententiae iis insit vestigium. Refero autem verba rei a parva origine ortae ad Servianum censum, qui quidem tantummodo rerum aestimatione constaret; deinde vero, republica maiorem potestatem amplitudinemque adepta, quum census iam maior tempore agendus esset, ut Pomponius Fr. 2. §. 17. D. 1. 2. dicit, censores creati sunt iisque cum alia munera perficienda, tum morum regimen est mandatum, quae inde ab hoc tempore semper esse adaucta apparet. Quodsi vero illam morum disciplinam serius censoribus tributam statuamus, permagnam nobis difficultatem commoveat illud severitatis censoriae exemplum, qua paullo post utebantur censores. Gravissima enim poena affecerunt Aemilium Mamercum dictatorem a. u. 320. Ac morum regendorum ius non ante censores institutos inhaesisse censurae, etiam Cic. in Pison. c. 5. hisce probat verbis, centum prope annos legem Aeliam et Fusiam (cf. Liv. 47, 23.) tenueramus, quadringentos iudicium rationemque censoriam. Haec vero disciplina, quae quidem, ut totum institutum, cum religionibus arcte fuerit coniuncta, auctoritatis censoriae erat quasi fundamentum. Quo factum est, ut dignitas eorum a scriptoribus tantis tollatur laudibus censorumque munus etiam serioribus temporibus in summo fuerit honore. A Plutarcho enim vocatur Cat. mai. p. 345. *κορυφή τις τιμῆς ἁπάσης καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις*, et in P. Aem. p. 275. *ἀρχὴ πασῶν ἱερωτάτη.* cf. Dion. 4, c. 22. Simile quid Val. Max. 2, 9. habet: castrensis disciplinae tenacissimum vinculum, militaris rationis observatio admonet me, ut ad censuram *pacis magistram custodemque* transgrediar; et Cic. in Pis. c. 4. vere eam veterem *magistram pudoris et modestiae* nominat. Ad quam dignitatem auctoritatemque augendam accessit id, quod certe ab initio quinque per annos censores erant in magistratu. Itaque ne tanta potestas reipublicae inferret detrimentum, postea legibus quibusdam deminuta et finita est. Anno enim 320. lege Aemilia cautum est, ut annua tantum et sex mensium esset, quod, ut Livius 4, 24. ait, grave esset, iisdem per tot annos obnoxios vivere. cf. l. 9, 33. et 34. Attamen non semper illam legem esse observatam, idem Livius probat. Appius enim Claudius, ut legimus l. l., circumactis decem, et octo mensibus, nulla vi compelli, ut abdicaret, potuit: sed triennium et sex menses ultra censuram solus gerere cupiebat. Cuius generis alterum exemplum idem scriptor nobis tradidit l. 45, 15. Tum vero, quum Romani imperium suum extra Italiae fines extendissent armisque victricibus multos

populos externos in potestatem redegissent, censorum magistratum, quoniam munera per decem et octo menses perficere non poterant, ad pristinam rationem esse redactum arbitrandum est. Cic. de legg. 3, 3.: magistratum quinquennium habento (censores). Zonaras Tom. 2. p. 29.

Alterum, quo restrinxerunt Romani censuram erat, quod semper bini censores creabantur, ne unus nimia frueretur potestate et alter alterum coercere posset. Unus enim, quanquam non erat cum imperio neque prehensionem nec vocationem exercebat, summa tamen per morum disciplinam gaudens dignitate et civibus et reipublicae damnum inferre potuisset: sed invito collega civem notare non potuit. Liv. 40, 51. Mortuo vero altero, alter se abdicare magistratu debebat, neque alium sibi sufficere fas erat. Cuius rei Livius caussam affert 5, 31. »C. Iulius censor decessit: in eius locum M. Cornelius suffectus: quae res postea religioni fuit, quia eo lustro Roma est capta; nec deinde unquam in demortui locum censor sufficitur.« cf. 9, 34.; 6, 27.; quin etiam tertios creari censores erat religiosum. Saepius igitur factum est, ut census aut plane omitteretur, aut censores nihil quidquam perficerent, aut nulli omnino crearentur. cf. Liv. 27, 6. Haec autem mihi caussa videtur, a Livio 10, 47. a. u. 461. vicesimos sextos demum a primis censoribus nominari, quem locum multi interpretes mutare sunt conati. vid. Drak. ad h. l.

Tum lege Marcia a. 489. a C. Marcio Rutilo, iterum censore, lata sancitum est, ne idem bis censor crearetur; qua de re videndus est Val. Max. 4, 1. 3.; Plut. Coriol. p. 214. Itaque, quoniam tantus fuit censorum honor, ut nemini bis eo gaudere liceret, plerumque consules tantummodo vel, qui dictatores fuerant, ea dignitate fruebantur. Quamobrem omitti non potest, quod Liv. 27, 6. tradit, Crassum Licinium *ex aedilitate* gradum ad censuram fecisse.

Ut vero primo ad magistratus nisi patricii non accedebant totaque respublica in eorum erat potestate; sic ad censuram quoque ab initio plebeii non aspirabant. At a. 403. primus de plebe censor factus est C. Marcius Rutilus, idem qui primus dictator fuerat plebeius (Liv. 7, 17.), et paullo post a Publilio dictatore lex lata, ut semper alter censor ex plebe crearetur. cf. Liv. 8, 12. Sed ne hoc quidem plebi sufficiebat, imo res eo est perducta, ut a. 623. uterque censor ex plebe institueretur. cf. Liv. Suppl. 59, 33. et epit. l. 59.

Denique censores iure iurando erant restricti. Ante enim quam magistratum auspicarentur, se nihil gratiae vel odio alicuius daturos iurabant, sed

omnia ex animi sententia et sincera fide acturos, quod exeunte magistratu iterum factum esse Liv. 29, 37. demonstrat.

His constitutis, iam ad munera censorum transgrediendum est, quae, si quid video, ad duo capita probe referri possunt, quorum alia ad cives eorumque in republica statum atque conditionem, alia ad rempublicam ipsam pertinebant. Alterum tamen in aliud tempus differo, de priore autem, quantum per libelli huius spatium licebit, nunc disseramus.

Creatis censoribus, iure iurandoque ab iis dato, census civium in Campo Martio incipiebat ad aram Martis, quo repente, ut Livius 40, 45. ait, principes senatorum cum agmine venerunt civitatis ad eos salutandos; quo facto, in Capitolium, ubi ius iurandum iurabant, deducebantur. Sellis curulibus insidentes singulas tribus ex iisque singulos cives iubebant citari, qui, ut a Servio Tullio erat institutum, censebantur, ut professionem relatam iurarent et apud censorem vel aerarium subsignarent. Poenam quoque, qua, qui in rebus indicandis fraude uterentur, afficiebantur, eandem videmus fuisse. Quum vero census nisi Romae agi non posset et extra urbem census legitimus non fieret, omnibus erat, ut censerentur, Romam commigrandum civibus. Qui autem cunque apud censores profitebantur tabulisque censoriis inscribebantur, eo ipso ius civitatis adipiscebantur, adeo ut et servi non modo manumissi, verum etiam cives viderentur, si nomina darent censoribus ac deinde lustro interessent. Cic. Or. 1, 40. Itaque multi, ut civitatem sibi compararent, in urbem ad censum commigrarunt. Qua de re legati sociorum Latini nominis saepius faciebant querelas, ut apud Livium 39, 3 legimus, magnam multitudinem civium suorum Romam commigrasse et ibi census esse. Hanc censum habendi rationem usque ad a. u. 665. valuisse facile apparet; tantum certe Gellii verbis 5, 19. constat, eam anno 613. in usu fuisse. Hoc enim anno P. Scipio fuit censor, quem legimus inter ea, quae reprehendebat, quod contra maiorum instituta fieret, culpavisse absentes censeri iubere, ut ad censum nemini necesse esset venire. Communicata autem civitate cum omnibus sociis Latini nominis imo et peregrinis, qui foederatis civitatibus adscripti fuerant, si tum, quum lex ferebatur, in Italia domicilium habuerant et si sexaginta diebus apud praetorem erant professi, antiqua censendi forma abolevit. cf. Liv. 74, 53. Inde ab hoc tempore civibus non erat Romam proficiscendum, sed in ipsis civitatibus pariter ac veteres cives censebantur. Attamen ne census nimis produceretur, ut intra certum quoddam tempus tabulae Romam mitterentur, quas censores in publicas tabulas referrent, constitutum erat. Sed quum etiam seri-

oribus reipublicae liberae temporibus census habendi ratio in universum parum ab antiqua recesserit, hanc mitto, praesertim quum in fine huius scripti ad illam rem, si dis placet, rediturus sim, et ad alia censorum munera delineanda iam transgredior.

Opibus pecuniae ratione aestimatis, senatores, omnium civium amplissimi, legebantur, tum equites, deinde reliquus populus. Primis quidem reipublicae temporibus certum censum senatoribus non fuisse, imo nonnullis parvas facultates duobus exemplis mihi liceat probare. Sic Valerius Publicola tam tenuis rei familiaris fuit, ut publicis sumptibus efferretur: nihilominus autem consul fuit et senator. Alterum praebet Q. Cincinnatus, cui aranti nuntiatum est, eum dictatorem esse factum, cf. Liv. 4, 13. et 14.; Cic. de Sen. c. 16. Insequentibus autem temporibus censum spectatum esse scriptorum testimoniis facile probari potest. Dicit enim Seneca decl. 2, 9. »senatorum gradum *census* adscendere facit, census Romanus equitem a plebe discernit;« et alio loco »video, inquit, istic mensas et aestimatum lignum senatorio *censu*. Idem coniiciendum est ex Asconii verbis ad Cic. Or. in Verrem, »moris, inquit, erat, quum aliquis civis Romanus ostendendus esset, ut significaretur aut a praenomine suo aut a nomine aut a cognomine aut a tribu, in qua censeretur, aut a curia aut a *censu*, ut si senator esset equesve Romanus.« Quaerendum igitur est, inde a quo tempore senatores census ratione lecti sint, quod stante republica multos video negare Plinii auctoritate ductos, qui l. 14. nat. hist. prooem. haec habet: »posteris laxitas mundi et rerum amplitudo damno fuit, postquam senator censu legi coeptus, iudex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare, quam census; pessum iere vitae pretia.« At locus ille non modo non probat sententiam, sed refellit etiam atque reprobat. Scriptoris enim verba, quum de censu iudicis loquatur, ad illud tempus, ut equidem arbitror, referenda sunt, quo iudices nisi praefinito censu non legebantur. Quod sua aetate factum esse Cicero demonstrat in orat. Phil. 1, 8.: »quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? *census* praefiniebatur, inquit. In iudice enim spectari et fortuna debet et dignitas.« Quibuscum apte coniungere possumus Asconii locum, quem supra laudavimus. Loquitur enim de tempore, quo accusavit Verrem Cicero. Sed longius etiam regredi possumus, ad bellum Punicum secundum scilicet. Ex Livii enim loco l. 24, 11. quinto huius belli anno censum senatorium iam fuisse praefinitum apparet, quod ut melius intelligatur, ipsa scriptoris verba apponere iubet. »Quum deessent nautae, ait, consules ex senatusconsulto edixerunt, ut, qui L.

Aemilio, C. Flaminio censoribus, millibus aeris quinquaginta ipse aut pater eius census fuisset, usque ad centum millia — nautam unum cum sex mensium stipendio daret: — qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent.« L. vero Aemilius et C. Flaminius a. u. 534. censuram gesserunt. Hoc igitur anno senatoribus iam fuit census definitus et illorum superavit, qui supra decies aeris censi fuerant et septem dabant nautas: octo enim cum annuo stipendio iis imperantur. Alius locus, qui hanc sententiam videtur probare, apud eundem l. 23, 22. legitur. Conqueritur ibi Sp. Carvilius non solum penuriam, infrequentiam ipsorum senatorum, ut est apud Drakb., sed paucos etiam cives esse, ex quibus novi senatores allegi possent. Jam si in legendo hoc ordine amplissimo census certus non fuisset observatus, querendi caussam video nullam; alii enim minore quidem, quam expostularetur, censu in senatum allegi potuissent. Quamobrem id mihi habeo persuasissimum, ante bellum cum Hannibale gestum certe censum senatorium praefinitum eumque maiorem fuisse, quam 400. HS. Verumtamen non semper eodem censu censebantur, sed diversis temporibus pro eo, ut opes atque divitiae populi ac reipublicae vel auctae sunt vel decreverunt, censum quoque auctum vel deminutum esse sua sponte apparet. Eum vero ante Augustum octingenta millia HS. fuisse prae ceteris Suetonius probat. Dicit enim vit. Aug. c. 41.: »senatorium censum ampliavit ac pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxavit supplevitque non habentibus.« (cf. Liv. 136, 44.) Contra eum autem sentit Dio C., qui l. 54, 17. senatorium censum decies HS. constituit: quam utriusque scriptoris controversiam viri eruditi diversis modis componere eosque consociare studuerunt. Alii enim, ut Casauboni verbis ad Suet. l. l. utar, Graeco scriptori rerum imperitiam Romanarum obiiciunt; alii verecundius culpam in librarios declinant et in Suetonio legunt decies. At nec Dio imperitiae est accusandus, neque in altero ulla est mutandi caussa. Uterque enim scriptor, quod iam alii viderunt, de diversis loquitur temporibus, ut Dio censum, qualis post bellum civile constitutus et deinde primo auctus fuerit, Suetonius vero posuerit censum, quem Augustus ad rempublicam accedens invenerit et moriens reliquerit. Quum enim census, ut Dio fere habet, qui initio senatoribus, perditis multorum per bella patrimoniis, centum millium drachmarum erat praefinitus, procedente tempore, magnis partis opibus, ad ducenta quinquaginta millia perductus esset; nemo inveniebatur, qui legi vellet: quin etiam filii senatorum et nepotes aut propter angustias rei familiaris aut propter parentum et avorum calamitates animis fracti non modo non appetebant senatoriam dignitatem, sed ea se quo-

que abdicabant. — Centum autem millia drachmarum decies aeris vel quadringenta nummorum millia aequabant. Statuendum igitur est, Augustum civitate continuis fracta bellis civiumque re familiari decurtata, censum ad quadringenta sestertia deminuisse, cuius rei Dio affert caussam, quod multi patrimonia per bella amisissent. Deinde vero illum non ad priorem modo statum reduxit; verum etiam ampliavit ita, ut duodecies HS. aequaret.

Censu autem amisso, etiam dignitatem senatoriam desiisse sua sponte apparet. cf. Tac. A. 2, 48; Cic. Fam. 13, 5. Atqui in senatoribus legendis non census solum spectabatur, verum etiam alia accederent, necesse erat; requirebatur genus, aetas, magistratus. At quum haec satis nota sint, statim ad equites transeo eorumque censum brevibus describendum.

Etsi vero equites non solum censu lectos, sed aetatem ac genus etiam esse spectatum inter eruditos satis constat, haec tamen praetermitto, praesertim quum optionem equitum a divitiis iam sub regibus esse factam haud improbetur. Servius enim Tullius, ut Dion. 4, 18. memoriae prodidit, equitum habuit delectum ex illis, quorum maximus erat census quique genere illustri erant; attamen, quod ad opes attinet, primae eos annumeravit classi, ut censum classicorum non superarent. cf. Liv. 1, 43. »pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias etc.« Eo igitur tempore equitibus neque certus praescriptus erat census, neque hoc modo a relicuo populo discernebantur; id tantum ex Livii verbis manifestum est, post populum esse censos. Quod institutum usque ad Polybii aetatem in usu fuisse, idem hic scriptor optimus est auctor, quo evincitur, inde ab hoc tempore censu equites esse lectos. Refert enim l. 6, 20: »τοὺς ἱππεῖς τὸ μὲν παλαιὸν ὑστέρους εἰώθεσαν δοκιμάζειν νῦν δὲ προτέρους, πλουτίνδην γεγενημένης ἀπὸ τοῦ τιμητοῦ τῆς ἐκλογῆς.« Etenim perfecti vis atque significatio, id quod tritissimum est, in eo cernitur potissimum, ut factum aliquod ad temporis praesentis momentum referatur et rem, de qua sermo sit, ad finem esse perductam et diutius durare indicet. Itaque genitivi, qui dicuntur absoluti, γεγενημένης ἐκλογῆς, ut verbum νῦν, ad scriptoris aetatem sunt referendi et nihil aliud sibi volunt, nisi eo demum tempore primum optionem equitum censu praefinito esse factam. Quod quum ita sit, Ill. Niebuhrius, nisi forte sententia in prima historiae suae parte proposita perseveravit, Polybii verba non satis probe verterit hoc modo: »*seitdem das Vermögen — geworden ist.*« Nec vero nostrae, quam modo diximus existimationem, repugnat Livii locus l. 5, 7., ubi leguntur: »quum repente, quibus census equester erat;« equos

enim publicos non esse assignatos statim adiicitur, quo inter equites eos non fuisse, indicatur. Singulari equitum censu praefinito, inde ab hoc fere tempore ordinem, qui interiectus quasi inter senatum et plebem esset, veri simile est eos formasse. Dignitate enim et opibus eminentes quum a relicuis civibus censu equites diriungerentur, aequum est, etiam ordine atque insignibus eos separari. Quo fit, ut scriptorum ante C. Gracchi et aliorum post illum leges iudiciarias tres ordines civium commemoravit nemo, ut equester ordo inter patres ac plebem intermedius fuerit. Etiamsi enim Val. Max. 3, 4. 2. Tarquinium Priscum equestrem ordinem reliquisse uberiorem narrat, et Liv. 2, 1. numerum patrum a Bruto lectis primoribus equestris gradus impletum esse tradit: sua sponte unusquisque intelligit, haec longe alio dicta esse sensu, quam quo Plin. nat. h. 33, 1. scribit: »anuli plane *medium ordinem tertiumque plebi et patribus inseruere:*« et »anuli distinxere *alterum* ordinem a plebe.« Ac de hac re quid dilucidius et evidentius inveniri potest, quam eiusdem scriptoris verba, quae l. 33, 2. leguntur? »M. Cicero, inquit, demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo — Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in republica factum est coepitque adiici senatui populoque Romano equester ordo.« Qualis autem et quantus equitum census fuerit, id nunc erit demonstrandum. Equites singuli in foro (is enim erat, si Plutarcho fides habenda, locus, ubi censebantur), equum manu sua traducebant. Censor a singulis de stipendiis aliisque rebus quaerebat, ac si quid animadversione dignum intellexisset, vendere eos iubebat equos vel adimebat; sin omnia approbasset, illi traducere poterant. Eodem modo senatores, qui equum publicum habebant, a censore recensebantur. Ab hac autem, quae lustris fiebat, equitum recensione quam maxime secernenda est annua transvectio, quae bis habebatur. Altera quidem Idibus Quinctilibus a Q. Fabio Maximo a. u. 450. in honorem Castoris et Pollucis post pugnam ad Regillum lacum instituta. cf. Liv. 9, 46. Dion. 6, 13; Val. Max. 2, 1. Conscensis enim equis togas palmatas sive trabeas induti et coronas oleagineas gestantes ornamentaque militaria, quae ab imperatoribus virtutis signa acceperant, manu prae se ferentes ab aede Honoris extra urbem ad Capitolium solemni pompa tendebant eoque tempore in ius vocare eos non licebat (cf. Nieupoort de rit. Rom. p. 30.). Quae transvectio insequenti tempore intermissa ab Augusto iterata est. Sueton. enim Aug. c. 38: »equitum turmas, ait, frequenter recognovit post longam intercapedinem reducto more transvectionis.« — Altera pompa fuit die Lupercalium, de qua Val. Max. l. l. est conferendus.

Census autem equitum erant quadringenta HS., quod probant Plin. ep.

F, 19.; Iuven. 14, 326.; Horat. ep. 1, 1. 57., quo loco etiam apparet, amissa pecunia, ut non haberet censum quis, eum ordinem amisisse et equestris dignitatis insignia perdidisse.

Pergo iam ad morum censuram, qua censores plurimum valebant. Primo quaerendum est, quaenam in crimina animadverterint, quae Niebuhrius, ut alii videre, non recte, ut equidem censeo, constituit. Dicit enim part. 2. p. 179., ut vernacula lingua eius verba afferam: »*die Notationen der Censoren betrafen Uebertretungen der Pflichten gegen Staat und Stand. Jedes von den Gesetzen durch Strafe gerügte Verbrechen zog auf gleiche Weise die Notation nach sich: nicht aber moralische Vergehungen, die der Staat nicht rügt.*« Quod primum dixit, id ex parte tantummodo verum. Etenim delicta in rempublicam commissa ipsis reipublicae legibus atque iudiciis erant obnoxia et puniebantur; censorum autem animadversio non proprie delicta publica, sed domestica, ut ita dicam, spectabat et ea potissimum, quae leges effugissent vel in iudicium vocari non possent, notabat. Niebuhrius vero censores nostros cum Graecorum *νομοφύλαξιν* immutat, Cicerone quidem repugnante, apud quem de legg. 3, 20. scriptum reperimus: »neo hi solum litteras, sed etiam facta hominum observabant ad legesque revocabant. Quocirca melius est, rationes referri caussamque exponi censoribus; integram tamen legem accusatori iudicioque servari.« Illorum igitur officia Cicero a censorum solis luce clarius discernit ac separat a censoria ratione legem, maximoque opere sunt separandae. Lex enim est, ut Seneca dicit, iusti et iniusti regula, et alio loco, leges nihil aliud sunt, nisi minis mixta praecepta, quae iudex in diiudicandis puniendisque hominum factis sequi debet. Poena enim non irrogatur, nisi quae quaque lege vel alio quo iure specialiter huic delicto imposita est Fr. 135. D. 50. 16. apud Iarckium. Delicta autem, quae censores notabant, saepe numero erant eiusmodi, ut iudicio non essent obnoxia, veluti periurium lex non persequebatur; ea igitur praecipue iis relicta erant notanda. Quid enim opus erat, crimina, quae legibus punienda servarentur, a censoribus adhuc notari? Imo turpia atque inhonesta facta, quibus civium mores corrumperentur et reipublicae salus periret, ad eorum pertinebant cognitionem. Haec vero Niebuhrius, si recte eum intellexi, prorsus iis abiudicat. Atqui censorum erat, mores corrigere atque emendare! At fortasse quispiam eius sententiam probatam scriptorum argumentis ac firmatam esse arbitretur. Cicero enim pro Cluent. c. 43. et Livius 98, 28. crimina a censoribus notata in medium proferunt, quae publicorum erant iudiciorum. Iudices enim,

in quos Cicero eos animadvertisse ait, in ius vocari et ob pecuniam acceptam repetundarum poterant accusari. Item, qui socios diripuissent. Repetundae vero, ut apud Heinecc. A. R. 4, 18. 72. legimus, dicebantur pecuniae, quas sive socii sive cives privati a magistratibus aut iudicibus aut publicis curatoribus iudicio repetebant, quas illi aut in provincia aut in urbe aut ob dicendum ius aut ob aliud quid publice curandum accepissent. Quod crimen quanquam primo caussa privata erat et extra ordinem ex senatusconsulto cognoscebatur a recuperatoribus, tamen gliscente subinde provincialium magistratuum avaritia legibus propositis vindicatum est, quarum, ceteris relictis, unam a L. Cornelio Sulla, dictatore, latam ponam. Hac lege quaerebatur non solum de iis magistratibus, qui pecuniam dono ceperint, abstulerint, coegerint, conciliarint, averterint, sed et, qui libidinose, superbe, crudeliter se in provincia gesserint, nec non de iis, qui iudices non suae decuriae munere functi sint aut non perpetuo sederint aut ab iudicandum pecuniam ceperint: itemque de iis, ad quos pecunia pervenerit. vid. Heinecc. Poena praeter litis aestimationem erat aquae et ignis interdictio, nisi in reatu accusati decesserint. Iam quum constet, iudices ob corruptum iudicium pecuniamque acceptam accusari et, qui socios diripuissent, in ius vocari potuisse, quanam conditione censores in iudices animadverterint, quaerendum est. Aut enim ante factam in ius vocationem aut reum iam condemnatum notabant aut, accusatione omissa, falsi iudicii aliusve criminis suspectum ignominia afficiebant. Quodsi vero censores ante nominis delationem notassent idemque post ignominiam inustam in ius vocatus et condemnatus esset, nullam video censoriae notae vim atque utilitatem. Repetundarum enim condemnati poena multo fuit gravior atque acerbior, ut altera, si non deleretur, certe nihil valeret. Nam rei iubebantur duplum, triplum, quadruplum reddere ac praeterea in exsilium mittebantur. Lege autem Iulia, quam ceteris acriorem, sanctiorem, severiorem innuit Cic. in Vat. c. 12.; pro C. Rab. c. 4., quanquam repetundarum damnati non mittebantur in exsilium, tamen praeter litis aestimationem eos ordine esse motos, iam ab aliis probatum est. cf. Sueton. Caes. 43; Oth. 2; Tacit. H. 1, 77; Plin. ep. 2, 11; 12; 4, 9. Ac si reus absolvebatur, iudicum sententiis etiam nota censoria tollebatur. Huc referendum, quod Cic. p. Cluent. §. 121. dicit: »itaque non solum illud ostendam, populi Romani suffragiis saepe numero censorias subscriptiones esse deletas, verum etiam *iudiciis* eorum, qui iurati statuere maiore cum religione et diligentia debuerunt.« Quid igitur? scilicet post iudicium factum criminis accusatum notabant. Ac ne hoc quidem ob eandem, quam dixi caussam, ferri potest.

Magno enim acervo, ut hoc utar exemplo, quid addere granum iuvat? Quae quum ita sint, censores eos tantum, qui, quomodo cunque factum erat, publica iudicia subterfugissent, nota affecisse, habeo pro re certissima. Quum enim accusatorem in ius vocare et nomen deferre necesse esset, facile fieri potuit, ut, quoniam eius turpe habebatur munus, nisi quis aut reipublicae caussa, aut patrocinii gratia, aut paternarum aut propriarum inimicitiarum nomine ad accusationem accederet, cf. Cic. Off. 2, c. 14., qui accusaret, non inveniretur. Quos igitur iudices iudicio publico non poterant persequi, nota affecere censores. Attamen haec ignominia censoria a iudiciorum poena longe erat diversissima, quod etiam Cicero l. l. c. 42. innuit. Quodsi, ait, illud iudicium putaretur: ut ceteri, turpi iudicio damnati, in perpetuum omni honore ac dignitate privantur; sic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset. Nunc si quem Cn. Lentuli aut L. Gellii (Liv. 98, 28.) libertus furti condemnavit, is, omnibus ornamentis amissis, nunquam illam honestatis suae partem recuperabit: quos autem ipse L. Gellius et Cn. Lentulus, duo censores, — furti et captarum pecuniarum nomine notaverunt, ii non modo in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum iudiciis absoluti sunt.

Sed nunc de singulis, quae notabant, videamus ac primum quidem de luxuria libidinibusque vita dedita. Nihil enim et civibus et toti reipublicae tam est perniciosum, quam libido, nihil hominibus tam inimicum, quam voluptas, quae ad cuiusvis generis scelera eos incitat atque impellit. Non possum non huc afferre egregium Ciceronis locum, qui legitur de Sen. c. 12., quo voluptatem et luxuriam non immerito a censoribus esse notatas apparet. »Nullam, dicebat Archytas Tarentinus, capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus a natura datam: cuius voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae proditiones, hinc rerumpublicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra vero et adulteria et omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Quumque homini sive natura, sive quis deus nihil mente praestabilius dedisset: huic divino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quocirca nihil esse tam detestabile tamque pestiferum, quam voluptatem: si quidem ea, quum maior esset atque longior, omne animi lumen exstingueret.« Censores igitur in illam generis humani perniciem et

omnium malorum quasi stirpem in luxuriososque animadvertisse, non est mirandum. Cuius rei non rara inveniuntur exempla; prae ceteris vero Catonis ob severitatem, qua usus est in censendo, censura commemoranda. cf. Nep. in Cat. c. 2. E senatu eiecit ob nimiam libidinem L. Flamininum, qua de re videndi sunt Cic. de Sen. c. 12.; Liv. 39, 42.; Plut. Cat. m. c. 17. Alia, quomodo luxuriam notarint censores, exempla legimus apud Gell. N. A. 4, 8; et Val. Max. 2, 9. Deinceps vero tantis aucta est incrementis, ut eius coercendae caussa leges quaedam ferrentur, quas nunc enumerabo.

1) Lex Orcia a C. Orcio, tribuno plebis a. u. 573. lata, qua numerus convivarum coercebatur. cf. Liv. 46, 36.; Macrob. Sat. 2, 13. At quam luxuriam cohibere tribunus ille studuerat, ea paullo post adeo crevit, ut in comitium homines ebrii ventitarent et vino madidi de reipublicae salute consulerent. Quamobrem leges sumptuariae latae sunt a. 593., quas videre licet apud Liv. 46, 37. Eodem anno

2) lex Fannia a C. Fannio Strabone cos. est rogata. Haec, ut cum Livio loquar, ludis Romanis, item ludis plebeiis et Saturnalibus et aliis quibusdam diebus centenos aeris insumi concessit, decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos: ceteris autem omnibus diebus non amplius denos. Invitari vero praeter domesticos convivas ceteris diebus ternos, nundinis quinos.

3) Fanniam legem Didia sequitur, quam Didius, tribunus plebis, rogavit a. u. 611., qua universa Italia lege Fannia teneri iussa et convivae etiam poenis subiecti sunt. Liv. 53, 24.; Macrob. 2, 13.

4) Anno 639. M. Aemilius Scaurus legem sumptuariam, quae Aemilia vocatur, sanxit. cf. Liv. 62, 26.

5) lex Licinia, quae sequitur, lata est a. u. 644. a P. Licinio Crasso. cf. Liv. 64, 52., qui vers. seq. singula eius capita enumerat: ne quid volucrum poneretur, praeter unam gallinam, quae non esset altilis. Kalendis, Nonis, nundinis Romanis, cuique in dies singulos triginta duntaxat asses edundi caussa consumere liceret. ceteris vero diebus, qui excepti non essent, ne amplius apponeretur, quam carnis aridae pondo tria et salsamentorum pondo libra, et quod ex terra, vite, arboreve natum esset. Gell. 2, 24.; Macrob. 2, 13. Alii vero nescio quo iure a. u. 656., quo Licinius consul fuit, hanc legem demum latam esse opinantur, quum a Livio ad annum 642. referatur, et ex alio scriptoris loco (70, 16.) illam a M. Duronio, tribuno plebis abrogatam esse appareat. cf. Liv. 64, 54. »sed et *intra decennium* iussu populi, agente tribuno plebis Duronio, lex abrogata est.

6) Cornelia lex, a Sulla dictatore a. 673. data sumptuaria, qua non solum sumptibus coenarum gulaeque modum fecit: constituit enim, ut Kalendis, Nonis, Idibus, aliisque quibusdam festisque diebus tricenos sestertios, ceteris ternos insumere liceret: sed etiam minora edulibus pretia imposuit. cf. Gell. 2, 24.; Macrob. 2, 13.: »qua (lege) non conviviorum magnificentia prohibita est, nec gulae modus, verum minora pretia rebus imposita.«

7) Lege Aemilia a M. Aemilio Lepido cos. 677. rogata non sumptus coenarum, sed ciborum genus et modus praefinitus est.

8) lex Antia auctore Antio Restione annis paucis post legem Aemiliam alteram promulgata est, quae, ut Gellius refert, praeter sumptum aeris id etiam sanxit, ut, qui magistratus esset magistratumve capturus esset, ne quo ad coenam, nisi ad certas personas itaret. Ceteras omitto. Etsi vero his legibus constitutis satis apertum est, haud immerito censores luxuriae reprimendae studuisse, alia tamen, quae proposuere, eos nonnunquam, ut nobis nostra aetate videatur, nimis severe ad tricas attendisse, affirmant. Quid, quod vetabant, animalia quaedam integra vel particulas eorum edi? Cuius rei plura affert exempla Iarckius p. 39. et 40., quibus addi potest. Liv. 74, 58.

Iam quum luxuria et nimis sumptuosa vita non raro, ut quis aes alienum contrahat, efficiant, censores etiam ob aes alienum nota affecisse exploratum est. vid. Ascon. ad fragm. orat. Cic. in toga candida. — Quemadmodum vero in luxuriam, stupra et adulteria excitantem, quae divortiorum non minima sunt incitamenta matrimoniorumque impedimenta, animadvertebant, sic et severissime observabant ipsa matrimonia et, ne nimis essent frequentia divortia, neve quis sine caussa coelebs maneret, videbant. Utrumque enim non mores solum civium corrumpit, verum etiam incolis rempublicam nudat. Romani igitur, ne respublica incolis obrueretur, non timebant; imo, quae, quominus civitas in dies cresceret, impedirent, ea omnia coercebant censoribusque notanda relinquebant. Divortium autem maritis quidem permiserat Romulus, at non uxoribus, ut tradit Plutarch. vit. Romuli c. 22. Sed nec illis quidem, eodem teste Plutarcho, sine caussa sontica licebat uxores dimittere, verum si constaret, eas aut stuprum passas, aut venenum parasse, aut liberos clavesve subiecisse. Forsan etiam temulentia inter caussas divortii sonticas fuit, quippe quam maritus, caussa cum cognatis cognita, severe vindicare in uxore consueverat. Dion. Hal. 2, c. 25. At quamvis divortia permitterent leges: non tamen ullum Romae exstitit exemplum ante annum ab u. c. circiter quingentesimum, quo primus uxorem ob sterilitatem dimisit. Sp.

Carvilius Ruga. Dion. 2, 25.; Liv. 20, 21.; Val. Max. 2, 1. 4.; Gell. 4, 3. vid. Heinecc. Ant. Rom. p. 304. seqq. Inde ab hoc autem tempore divortia frequentia fieri coeperunt, et non solum ob caussas alicuius momenti, veluti sterilitatem, Sueton. Ner. c. 35.; simultates cum socru, Suet. Aug. c. 62.; morum perversitatem, Idem ibid. cap. 62.; impudicitiam, Suet. Claud. c. 26.; verum etiam ob caussas levissimas uxores sunt repudiatae. Papiriam enim quum dimitteret Paullus Aemilius, mirantibus amicis et caussam quaerentibus, nullam certam attulit, sed se tamen ab ea laesum significavit. Itaque censor divortii caussam iustam fuisse iurare cogebat. Gell. 17, 21.

Eadem vero severitate, qui sine causa coelibes manebant, notabantur, quo spectat illa censoris formula quaerendi: »ex tui animi sententia tu uxorem habes?« Atque non ignominia solum afficiebant, si quem a nuptiis abhorrentem deprehendissent, sed etiam mulctam exigebant ab iis, qui, nulla ducta uxore, ad senectutem pervenissent. Aes enim uxorium imposuerunt Camillus et Postumius censores a. u. 350. cf. Gell. 4, 20.; Val. Max. 2, 9. 1.; Plut. Camill. p. 129. vid. Festum s. v. uxorium p. 478. At non satis erat uxorem habere, sed liberis procreandis apta esse debebat: quare sterilitas orbitasque summo in odio erant iustamque, ut supra vidimus, praebebant matrimonii dissolvendi caussam. Itaque censores nonnunquam adhortati sunt, ut uxores ad liberos creandos cives ducerent, qualis exstat Q. Metelli Macedonici, qui u. c. 622. censor fuit, oratio, quae digna visa Augusto, quam in senatu repeteret, quum legem Iuliam de maritandis ordinibus suaderet. Sueton. Aug. c. 89. vid. Heinecc. p. 239. cf. Liv. 59, 53.; et epit. l. 59. ibique interpp. Gell. 1, 6. Vide igitur Romanorum sententias, ecce mores a nostris alienissimos! quod nostra aetate nescio quis poenis hominis naturae parum convenientibus promulgatis vehementer coercere studuit, id summo opere Romani adiuvabant praemiisque propositis ad liberorum procreationem incitabant. Quod concludere possumus ex Livii verbis 45, 15.: »nam ab illis censoribus in quatuor urbanas tribus descripti erant libertini *praeter eos, quibus filius quinquenni maior ex senatusconsulto esset.*« vid. Iarck. p. 33. seq. Simile quiddam antiquioris quidem temporis Livii locus 2, 9. etiam confirmat.

Quae quum ita sint matrimoniumque tanto fuerit in honore, non mirum est, censores et lusus indecoros intempestivosque vel levitates amatorias inter coniuges dictaque turpia notasse. cf. Plut. Cat. m. c. 17.: *Ἄλλον δὲ βουλῆς ἐξέβαλεν ὑπατεύσειν ἐπίδοξον ὄντα, Μανίλλιον, ὅτι τὴν αὐτοῦ γυναῖκα μεθ' ἡμέραν, ὁρώσης τῆς θυγα-*

τρὸς κατεφίλησεν· αὐτῷ δ' ἔφη τὴν γυναῖκα μηδέποτε πλὴν βροντῆς μεγάλης γενομένης, περιπλακῆναι· καὶ μετὰ παιδιᾶς εἰπεῖν αὐτὸν, ὡς μακάριός ἐστι τοῦ Διὸς βροντῶντος.

Tum periurium gravissimum erat probrum censorium, cuius, quum leges in quaestionem non vocarent, vindicta erat dis relicta. Id enim sibi volunt formulae in iurando usitatae verba: »si sciens fallo, ita me Diespiter, salva urbe arceque, bonis eiiciat, ut ego hunc lapidem.« Idem probat Cic. de Off. 2, 9.: »periurii poena divina, exitium; humana, dedecus.« Utilissimum igitur et reipublicae salutare institutum erat, a censoribus periuros ignominia affici; ac nulla de re diligentius, quam de iure iurando, iudicabant. Cic. de Off. 3, 31. Laesae autem fidei iure iurando adstrictae quamvis essent rarissima exempla, cave putes, omnes divino numine esse territos, omnes illa lege duce, quae non hominum ingeniis excogitata, sed aeternum quiddam, imperandi prohibendique sapientia est, viam recti atque veri iniisse. Exempla vero periurii a censoribus notati afferuntur a Iarckio duo, quorum alterum a Cicerone de Off. 1, 13. narratur; cf. 3, 32.; Liv. 24, 18.; Gell. 7, 18.; alterum exstat apud Val. Max. 4, 1. 10.; et apud Liv. 54, 8. Tantum igitur Romanis fides data atque ius iurandum valebat, ut etiam hostibus praestaretur. Quem fugit Reguli illud pulcherrimum facinus, qui ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere?

Notabant deinde, si quis vel obedientia laesa vel modestia reverentiaque non observata vel nimis liberum, qui perniciosus videretur, demonstrando animum male in magistratus se gessisset. Qualis est Mamerci dictatoris notatio. (Liv. 4, 24.) Quod enim fecit, neque per leges erat illicitum neque sua sponte censoriae notae obnoxium; at caussa ac modus et ratio, quibus permotus consilium persequebatur, ea censoribus notanda videbantur. Etenim materia quaerendi belli gloriae adempta, in pace, ne nequicquam creatus esset, aliquid operis edere, quod monumentum esset dictaturae, cupiens, censuram minuere parat. Insolentius deinde invehitur in censurae diuturnitatem; alios, inquiens, magistratus esse annuos, quinquennalem censuram. Eum censores aegre passi, *quod magistratum populi Romani minuisset*, tribu moverunt octuplicatoque censu aerarium fecerunt. — Ob eandem caussam nota affecerunt Duronium, qui, ut legem de coercendis conviviorum sumptibus latam abrogaret, asperam et tumultuosam habuerat orationem. »Freni enim, inquit, sunt iniecti vobis, Quirites, nullo modo perpetiendi. Alligati et constricti estis amaro vinculo servitutis. Lex enim lata est, quae vos esse frugi iubet. Abrogemus igitur istud horridum vetustatis rubi-

gine obsitum imperium. Etenim, quid opus libertate, si volentibus luxu perire non licet?« Eodem pertinet, quod Gellius 4, 20. de ioculatore quodam tradidit, qui, quum censor adigeret de uxoribus solenne ius iurandum, »ut tu ex animi tui sententia uxorem habes,« locum esse sibi ioci dicundi ratus, habeo equidem, inquit, sed non hercle ex animi mei sententia. Tum censor eum, *quod intempestive lascivisset*, in aerarios retulit. cf. Cic. Or. 2, 64. —

Censores notasse, si quis parum reverentiae magistratui praestiterit, hoc quoque, quod sequitur, monumentum est ex Livio 47, 2. petitum. Eques Romanus quum equum strigosum et male habitum ipse pinguis et bene curata cute adduxisset, interrogatus est a censoribus, qui fieret, ut dominus equo tantum esset habitior? Atque ille, quoniam, inquit, ego me curo, equum Statius meus. cf. Gell. 4, 20.

Accedunt exempla ob laesam obedientiam notatorum, quale est, quod apud Val. Max. 2, 9. legimus: »equestris quoque ordinis bona magnaque pars quadringenti iuvenes censoriam notam patiente animo sustinuerant, quos M. Valerius et P. Sempronius, quia in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire iussi facere id neglexerant, equis publicis spoliatos in numerum aerariorum retulerunt.« Idem refert, a Q. Fulvio Flacco Cn. Fulvium fratrem germanum et consortem ausum iniussu consulis domum dimittere cohortem, in qua tribunus militum esset, senatu esse motum. cf. Liv. 41, 27.

Pergo ad crudelitatem inhumanam, quam a censoribus esse notatam, unum tantum, quod sciam, exstat exemplum idque non satis exploratum. Res enim a scriptoribus diverse narratur. Nam ad libidinem Cicero de Sen. c. 12. refert Flaminini facinus abominandum, sic narrantem Catonem inducens: »invitus quidem feci — sed notandam putavi libidinem;« et paullo inferius: »mihi vero neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido, quae cum probro privato coniungeret imperii dedecus.« Quocum congruit Plut. Cat. m. c. 17.; et Flamin. c. 18.: »*ἀδελφὸς ἦν Τίτῳ Λεύκιος Φλαμινῖνος — ἔν τε ταῖς ἡδοναῖς ἀνελεύθερος δεινῶς καὶ ὀλιγωρότατος τοῦ πρέποντος.*« Livius autem hominem illum, sive reum, sive transfugam non per lictorem, sed a Lucio sua ipsius manu occisum refert lib. 39, 42. cf. Val. Max. 2, 9. 3. Sed, utut est, quanquam consul illam ipse caedem fecit, tamen etiam Livius rem ita describit, ut facinus indignum ob nimiam libidinem potius, quam ob crudelitatem commissum videatur. Quamobrem etsi eam censorium probrum fuisse et a censoribus notari potuisse nemo negarit: sola quin ea fuerit notationis caussa, vehementer dubitamus.

Quum vero negotia et quaestus hominum non minimum valeant ad mo-

res tum corrigendos, tum depravandos, etiam ad illa attenderunt animum censores. Praecipua autem, ut iam ex Horatii Sat. 1. init. videre licet, Romanorum negotia erant agricultura, militia, mercatura. Quae diligentissime observasse eos, his probarim exemplis. Apud Plin. 18, 3. legimus, agrum male colere, censorium probrum esse iudicatum. Itaque, ut est apud Gell. 4, 12., si quis agrum suum passus fuerat sordescere eumque indiligenter curabat ac neque araverat neque purgaverat, sive quis arborem suam vineamque habuerat derelictui, non is sine poena fuit, sed erat opus censorium, censoresque aerarium faciebant. Omnium enim rerum, ut Cic. de Off. 1, 42. verbis utar, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero dignius. cf. Horat. epod. 2.

Notabant deinde milites, qui male pastos equos publicos gerebant, quod sexcentis probari potest exemplis, vid. Iarck. p. 48.; aut, si quis in proelio vel alia belli occasione minus fortiter se gesserat aut pugnae sese subduxerat. cf. Liv. 24, 18; Cic. Orat. 2, 67.

Quod ad mercaturam attinet, nullum hucusque reperimus exemplum, quo, illam quoque ad iudicium censorium spectasse, demonstremus. Attamen quum e Ciceronis loco supra laudato, tum virorum doctorum disputationibus, mercaturam antiquis Romanis ignominiae fuisse, satis superque apparet. Mercatura enim, ait Cicero, si tenuis est, sordida putanda est: sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. Sordidi putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. — Mercandi igitur negotium semper civibus infimae plebis, servis et peregrinis erat relictum. cf. Dion. 9, 25.: »οὐδενὶ γὰρ ἐξῆν Ῥωμαίων οὔτε κάπηλον, οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν« et ducentis quinquaginta fere annis ante lex iam lata erat, ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Liv. 21, 63. Quum vero in mercatores iniustos ac fallaces animadvertisse nullum exstet documentum, quod sciam, hac omissa quaestione ad aliam pergamus, quae scriptorum testimoniis firmatur. Tradidit enim Gell. 15, 11. edictum censorium, quo rhetores Latini ex urbe pulsi sunt. »Renunciatum est, inquit, nobis, esse homines, qui novum genus disciplinae instituerant, ad quos iuventus in ludum conveniat. Eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras: ibi homines adolescentulos dies totos desidere. Maiores nostri, quae liberos suos discere, et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Haec nova, quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiant, neque placent neque recta videntur. Qua-

propter et his, qui eos ludos habent, et his, qui eo venire consuerunt, visum est faciundum, ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.« Haec edixere Cn. Domitius Ahenobarbus et L. Licinius Crassus, qui a. 661. u. c. censuram gesserunt. cf. Liv. 70, 37. Nec vero his solum temporibus eiusmodi fiebant eiectiones, sed iam octo et sexaginta annis ante, C. Fannio Strabone et M. Valerio Messala coss., senatusconsulto philosophi simul et rhetores urbe erant pulsi. cf. Sueton. de cl. rhet. c. 1. ibique Casaub. Gell. l. l.; Liv. 46, 40. Quid commemorem M. Catonis severitatem senis, qua Atheniensium legatos, veritus, ne eloquentia et orationibus iuventutem corrumperent, ex urbe ablegandos esse censuit? vid. Liv. 47, 25. —

Denique censores, quod iam supra demonstravimus, in iudices animadverterunt et in alios, qui contra leges fecissent publicumque iudicium subterfugissent. cf. Liv. 98, 28: »C. Antonium senatu moverunt censores, quod socios diripuerit: quod iudicium apud M. Lucullum praetorem accusatus recusarit turpi allegatione, secum Graecis hominibus in urbe non posse aequo iure contendere: quod propter aeris alieni magnitudinem praedia mancipärit bonaque sua in potestate non haberet.« —

Vive, vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum. —

Schulnachrichten.

I. Lehrverfassung.

Gelehrt wurden in dem abgelaufenen Schuljahre in Sprachen und wissenschaftlichen Fächern folgende Gegenstände:

A. In Prima im Lateinischen in 2 St. w. las der Rector (Ordinarius dieser Klasse) die Philippica II. des Cicero statarisch; in 2 andern St. das zweite und dritte Buch von Tacitus Annalen; in 2 andern St. die Andria und den Heautontimorumenos des Terenz. Der Conrector Ranke leitete in 1 St. die Sprech- und Disputirübungen in dieser Sprache, 2 St. verwandte er auf Emendation freier lat. Ausarbeitungen und auf Erklärung der lat. Grammatik nach Zumpt. Im Griechischen las der Rector in 2 St. w. die Hecuba des Euripides und den Ersten Gesang der Ilias des Homer. In 2 andern St. erklärte derselbe *Demosthenis* orat. in Midiam. — Der Conrector Ranke leitete in 1 St. w. die grammatischen Übungen nach Buttmann's Schulgr. und ließ schriftlich Abschnitte aus *Cornelius Nepos* ins Griechische übersetzen. — Im Hebräischen las der Collab. Heinisch in 2 St. w. die prosaischen Stücke aus Gesenius Lesebuche, gewählte Abschnitte aus der Genesis, das Buch Josua bis C. 8. und verband damit schriftliche Übungen im Übersetzen aus dem griech. Grundtexte des N. T. in das Hebräische. — Im Französischen las der Prorector Ihlefeld in 2 St. w. den prosaischen Theil des Handbuchs von Ideler und Nolte von pag. 331 an bis 560 mit Einschluß der biographisch-litterarischen Einleitungen, welche ins Französische übersetzt wurden. 1 St. war Stylübungen gewidmet. — Im Deutschen trug der Rector in 2 St. w. den angewandten Theil der Logik in Verbindung mit allgemeiner Grammatik vor; 1 St. war Aufsätzen und Declamationsübungen gewidmet. Derselbe trug in 2 St. w. die Geschichte des Christenthums von Constantin dem Gr. an bis auf Luther vor. — In der Geschichte erzählte der Prorector Ihlefeld nach Beendigung der neuesten Geschichte von der französischen Revolution an bis zum Jahre 1828, die Geschichte des Mittelalters bis auf die Entdeckung von Amerika, mit besonderer Rücksicht auf die Geschichte der Hierarchie, der Kreuzzüge, Deutschlands und der Schweiz. — In der Mathematik trug der Subrector Schumann die Berechnung ebener Figuren, der Körper und ihrer Oberflächen, die Lehre von den Logarithmen, die ebene Trigonometrie und Algebra 4 St. w. vor. In der Physik derselbe in 2 St. w. die Abschnitte aus Kries Lehrbuche B. VIII. u. IX. und C. II. u. III.; dann mathematische Geographie und Einiges aus der Astronomie.

B. In Secunda las der Pror. Ihlefeld (Ordinarius dieser Klasse) im Lateinischen 2 St. w. nach einer Einleitung in Cicero's Leben und Schriften die Rede pro Roscio Amerino und die Rede pro lege Manilia bis C. 8. — Der Conr. Ranke vollendete in 2 St. w. von Virgils Äneis die Gesänge VI. u. VII.; in 2 andern St. vom *Livius* lib. I. von C. 22. an bis II. C. 44. 3 St. w. waren der Grammatik nach Zumpt, Stylübungen, Extemporalien, so wie der Prosodie und Metrik gewidmet. — Im Griechischen las derselbe Xenophons Memorabilien von B. II., C. 6. an bis B. IV. C. 3. 2 St. w.; in 2 andern St. von Ho-

mer's Odyssee die Gesänge 5—11.; 1 St. w. war in dieser Sprache der Syntax und Exercitien gewidmet. — Im Hebräischen übte der Collab. Heinisch in 2 St. w. die Declinationen, das regelmäßige verbum und die meisten der irregulären Zeitwörter ein, verbunden mit Übersetzungen aus dem Hebräischen nach Gesenius Lesebuche, später ließ er leichte deutsche Sätze ins Hebräische übertragen. — Im Französischen wurden von demselben in 2 St. w. aus Gedike's Chrestomathie die Abschnitte XXI., 3. XXII. XXIII. XXV. XXIX. u. XXX. und von Guillaume Tell par *Florian* 1—4. Buch vollendet; 1 St. w. war Stylübungen gewidmet. — Im Deutschen erklärte der Pror. Ihlefeld von Adelung's kl. Sprachlehre die Abschnitte von S. 52 an, bis 174; 2 andere St. waren der Erklärung ausgewählter Gedichte und prosaischer Abschnitte, der Kritik der eingereichten Aufsätze und Übungen im Declamiren gewidmet. In 2 Religionsstunden w. trug derselbe nach Niemeyer die Sittenlehre vor, und nach Beendigung derselben die Einleitung in die bibl. Bücher bis §. 32. — In der Geographie vollendete derselbe 1 St. w. den östlichen Theil des Preuß. Staats, Mecklenburg, Braunschweig, die Hansestädte, die Königr. Sachsen und Polen, die übrigen sächsischen Länder mit Reuß, Schwarzburg und Anhalt und die Königreiche der Niederlande und Frankreich. — In der Geschichte trug der Conr Ranke 2 St. w. im Wintersemester die Geschichte der Römer und ihre Geographie, im Sommers. die Geschichte aller alten Völker mit ihrer Geographie, mit Ausschluß der Griechen, vor. — In der Naturkunde lehrte derselbe im Winter die Mineralogie; im Sommer die Botanik, verbunden mit Excursionen zum Aufsuchen blühender Pflanzen. — In der Mathematik lehrte der Subr. Schumann 4 St. w. die Elemente der Algebra, die Lehre von der Lage der Ebenen, die Stereometrie, die Berechnung und Kubatur der Körper.

C. In Tertia erklärte im Lateinischen der Pror. Ihlefeld in 2 St. w. ausgewählte Abschnitte aus dem 5., 6. u. 7. Buche der Metamorphosen des Ovidius mit beständiger Rücksicht auf Prosodie. — Der Collab. Heinisch (Ordinarius dieser Klasse) erklärte von *Caesar* de B G. lib. VI. 40—VII. 68. Daneben Übungen in Extemporalien, Exercitien und Grammatik, zusammen in 6 St. w. — Im Griechischen erklärte der Pror. Ihlefeld von Xenophons Anabasis die Bücher V. und VI.; dann, wegen gleichzeitig gelesener Ovidischen Fabel von Jason und Medea, aus Jacobs zweitem Cursus den Abschnitt vom Argonautenzuge. Nach Buttmanns Schulgr. wurden die wichtigsten Abschnitte des etymologischen Theils wiederholt eingeübt und die verba anomala gelernt, auch einige §§. der Syntax durchgenommen. Alle 14 Tage wurden schriftliche Übungen in der Formenlehre angestellt. Alles in 5 St. w. — Im Französischen las der Collab. Friese 1 St. w. Lamotte's cours de langue française von S. 181 an — 204; 2 St. w waren mannigfaltigen Einübungen der Sanguin'schen Grammatik, schriftlich und mündlich, gewidmet. — Im Deutschen erklärte derselbe Heyse's kl. Grammatik 1 St. w.; in 2 andern St. wurden stylistische und Declamir-Übungen angestellt und die verbesserten schriftlichen Arbeiten durchgenommen. — In der Religionslehre, wo Tertia und Quarta combinirt unterrichtet werden, erklärte der Collab. Heinisch Hermes Lehrbuch der Religion Jesu 2 St. w. Mit diesem Unterrichte wurden noch einzelne Abschnitte aus den Evangelien und den Paulinischen Briefen verbunden. — In der Mathematik trug derselbe 4 St. w. nach Matthias Leitfaden, die gemeinen Rechnungsarten, die Buchstabenrechnung, die Lehre von den Proportionen, so wie die Elemente der Geometrie bis zur Gleichheit geradliniger Figuren aus Grundlinie und Höhe vor; im Sommers. folgte die Rechnung in Potenzen und Wur-

geln, die Ausziehung der Quadrat- und Kubikwurzel, die Lehre von der Gleichheit geradliniger Figuren aus Grundlinien und Höhe, Theoreme und Probleme über den Kreis. — In der Geschichte 2 St. w. lehrte der Collab. Friese nach Stüve's Leitfaden die allg. Weltgeschichte von 146 vor Chr. an bis 1760 nach Chr. — In der Geographie vollendete der Collab. *Dr.* Schmidt Deutschland, die österreichischen Staaten, Italien, die Schweiz und Türkei 2 St. w. — In der Naturkunde gab derselbe zuvörderst eine Einleitung in die Naturgeschichte und trug dann die Klasse der Säugethiere, so wie aus der Physik das Merkwürdigste von der Erde und dem Weltgebäude, die Lehre von der Luft und dem Schalle vor, 2 St. w.

D. In Quarta erklärte im Lateinischen der Subr. Schumann (Ordinarius dieser Klasse) in 2 St. w. von *Corn. Nepos* die vitas des Epaminondas, Pelopidas, Agesilaus und Eumenes; in 2 andern St. ausgewählte Fabeln aus Phädrus 3tem, 4tem und 5tem Buche; in 3 St. w. Erklärung der Kap. 11 — 20 von Bröders Grammatik, Übersetzung der Übungsbeispiele, verbunden mit schriftlich gefertigten Formeln und Exercitien; 1 St. w. war den Einübungen der abgeleiteten und zusammengesetzten Wörter nach Wiggert gewidmet. — Im Griechischen wurde unter Leitung des Collab. *Dr.* Schmidt die Formenlehre bis zum verbo φημὶ §. 109. der Buttmannschen Schulgr. beendigt. Daneben passende Abschnitte aus Jacobs Lesebuche gelesen 5 St. w. — Im Französischen von demselben die Formenlehre bis auf die unregelmäßigen Verba in 2 St. w. eingeübt; 1 St. w. war schriftlichen Übersetzungen aus dem Französischen ins Deutsche und umgekehrt und der Lectüre gewidmet. — Im Deutschen erklärte der Subrector Schumann Heyse's Leitfaden bis zu Kap. 9, verbunden mit Lese-, Styl- und Declamirübungen, in 3 St. w. — In der Geschichte wurden in 2 St. w. Bredow's merkwürdige Begebenheiten von demselben vollendet. — In der Geograpie vollendete der Collab. Heinisch in 2 St. w. nach Cannabichs kl. Lehrbuche die Einleitung und ganz Europa bis zur europäischen Türkei. — In der Arithmetik erklärte der Collab. *Dr.* Schmidt die Lehre von den Verhältnissen und die darauf beruhenden Rechnungsarten. In der zweiten Hälfte jedes Semesters wurde Eine von den 3 St. w. auf die ersten Anfangsgründe der Geometrie verwandt. — Den Religions- und physikalischen Unterricht hat diese Klasse mit Tertia gemeinschaftlich.

E. Quinta. Im Lateinischen übte der Collab. Friese (Ordinarius dieser Klasse) in 4 St. w. die schwerern Theile der Formenlehre, besonders der anomalen und defectiven Verben und die zusammengesetzten Conjugationen ein; die syntaktischen Regeln wurden nach Bröders kl. Grammatik durchgenommen von §. 107. — §. 164. und auch mündlich durch Beispiele klar gemacht; in 2 andern St. wurde die Klasse mit kleinen Exercitien beschäftigt, welche auf der Stelle gemacht, durchgenommen und dann mundirt zur Correctur wöchentlich eingereicht wurden. — Der Collab. *Dr.* Schmidt las mit dieser Klasse von Bröders lateinischen Lectionen für Anfänger die Abschnitte von §. 342. an bis 409. — Derselbe beschäftigte im Deutschen diese Klasse mit den Anfangsgründen der deutschen Sprache nach Heyse's Leitfaden, 3 St. w. Er verband damit kleine Declamirübungen, Anfertigung leichter Aufsätze und übte die Fähigern im mündlichen Vortrage ihrer Gedanken und Nacherzählen einzelner Geschichten. In 1 St. übte sie der Collab. Friese im Lesen mit Ausdruck und im Vortrage auswendig gelernter Stücke. — In den Religionsstunden, 3 St. w. erzählte derselbe die ganze biblische Geschichte, worauf die erzählten Abschnitte in der Bibel selbst gelesen und mit den nöthigen

Erklärungen begleitet wurden. Von Luthers kl. Katechismus nach Hermes Ausgabe, wurden die 5 letzten Gebote und der Erste Artikel katechetisch durchgenommen. Diese Lehrstunden beginnen hier, wie in den andern Klassen, mit Gebet und Gesang. — In der Arithmetik wurde von demselben in 3 St. w. die Erste Abtheilung der Klasse in die Resolutions-, Reductions- und Permutationsrechnung, in die 4 Species in benannten Zahlen mit Brüchen und in die Behandlung der Decimalbrüche eingeübt; die zweite Abtheilung mit der Bruchrechnung in unbenannten Zahlen im Sommers. ebenfalls mit Decimalbrüchen beschäftigt. — In der Naturkunde beschäftigte diese Klasse der Collab. *Dr.* Keseberg, 2 St. w., mit der Naturbeschreibung einzelner merkwürdiger Fische und deren technischer Benutzung. Hierauf folgten, nach vorangeschickter Einleitung in die Naturgeschichte zur allgemeinen Übersicht ihrer Theile, die 6 ersten Ordnungen der Säugethiere. — In der Geschichte erzählte derselbe, 2 St. w., die Geschichte des Lebens berühmter Männer der alten Welt in chronologischer Ordnung nach Haake's Andeutungen. — In der Geographie vollendete derselbe in 2 St. w. nach einer allgemeinen Einleitung, und nachdem die Knaben schon vorher mit mathematischen Begriffen von dem körperlichen Erdglobus bekannt geworden waren, Europa im Allgemeinen, dann Portugal, Spanien, Italien, die Türkei und Deutschland. — In der Gesanglehre übte der Cantor Göroldt in 2 St. w. diese Klasse im 2- und 3stimmigen Kunstgesange. — Die kalligraphischen Übungen leitete in 3 St. w. der Rathsstuhl-Schreiber Riecke.

F. Sexta. Im Lateinischen übte der Collab. *Dr.* Keseberg (Ordinarius dieser Klasse) den etymologischen Theil der Grammatik nach Bröder, daneben aus der Syntax die Geschlechtsregeln ein. Die zu §. 95—110. gegebenen Beispiele wurden übersetzt, und die darin enthaltenen Regeln auswendig gelernt. Auch wurden kleine Sätze und angemessene Exercitien geliefert. Aus Wiggerts vocabulario wurden die mit Stern und Hand bezeichneten Primitiven auswendig gelernt. Zusammen in 8 St. w. — In der Arithmetik wurden in 3 St. w. die 4 Species in benannten Zahlen, die Regel de tri und mit den fähigern Schülern die Anfangsgründe der Bruchrechnung eingeübt. — Den Religions-, physikalischen, historischen, geographischen, deutschen und musikalischen Unterricht (w. in 2 St.) nebst dem Unterrichte in der Kalligraphie (w. in 3 St.) hat diese Klasse mit Quinta gemeinschaftlich. Außer diesen hier genannten Singeübungen leitet der Cantor Göroldt auch noch in 1 St. w. den technischen Gesang mit den vereinigten Primanern und Secundanern, ingleichen in 1 andern St. mit den vereinigten Tertianern und Quartanern.

II. Chronik des Gymnasiums.

1. Veränderungen im Lehrer-Collegio.

Nach der Höchsten Bestimmung des Hochpreisl. Ministerii der Unterrichts- und der Medicinalangelegenheiten wurde dem zum Collaborator ernannten Schulamtskandidaten *Dr.* Keseberg, der bisher von dem Cantor Göroldt gegebene Unterricht in Quinta und Sexta, anvertraut. Der Cantor des Gymnasiums behielt nach Höchster Bestimmung auf immer die Leitung des Kunstgesanges und des hiesigen Singechors, ohne sonst Antheil an anderweiten Gegenständen des Gymnasial-Unterrichtes zu behalten. Auch verlor das Gymnasium im Laufe dieses Jahres seinen geistlichen Ephorus durch den Tod des Herrn Superintendenten *Dr.* Fritsch. Den Wünschen seiner

Freunde endete er viel zu früh seine irdischen Tage, als seiner fast allseitigen unermüdeten Thätigkeit die schwache sterbliche Hülle erlag. Nur die Undankbarkeit kann das Verdienst des überaus thätigen Mannes verkennen, der unsres Lobes nicht bedarf. Alles, was er in der Zeit seiner Wirksamkeit auch für das Heil unsres Gymnasiums wirkte, dessen würdiger Zögling er einst selber war, wird unter uns, wie jedes Gute, in unvergeßlichem Andenken bleiben.

2. Öffentliche Schulfeierlichkeiten.

Zur diesjährigen Feier der Jacobischen Stiftung handelte am 26sten Mai in einer öffentlichen Rede der Rector Sachse: von den Gefahren des Ehrtriebes in pädagogischer Hinsicht. Derselbe hielt zum Andenken an die Maschklappensche Stiftung nach dem besondern Willen des Wohlthäters, am 19ten Junius einen öffentlichen Vortrag: über den Sohn Gottes im Sinne der Schrift und im Sinne der alten Kirche. Zur Feier der Uebergabe der Augsburgischen Confession nach der Wescheschen Stiftung, entwickelte in einer Rede, am 25sten Junius, der Conrector Ranke: die Gründe, warum Luthers Reformation Erzeugniß und Eigenthum des germanischen Volkes sey. Zu allen drei Reden war das Publikum durch öffentliche Proclamata, den Stiftungen gemäß, eingeladen.

3. Statistische Übersicht.

1) Die Gesammtzahl der Gymnasiasten betrug im Anfange des abgelaufenen Schuljahrs 143, davon kommen auf Prima 19, auf Secunda 17, auf Tertia 18, auf Quarta 22, auf Quinta 24, auf Sexta 43. 2) Aufgenommen wurden: nach Prima 1, nach Secunda 1, nach Tertia 2, nach Quarta 1, nach Quinta 8, nach Sexta 25. In Summa 38. 3) Abgegangen sind: a) aus Prima, nach vorschriftsmäßiger Prüfung, zur Universität, und erhielten die ihren Namen beigesetzte Zeugniß-Nummer. Michaelis 1828. Christ. W. Eduard Dietrich aus Quedlinburg mit Nro. I. Karl Lud. Hasse aus Quedlinburg mit Nro. I. H. K. Lud. Heßling aus Wedderstedt mit Nro. II. Die beiden erstgenannten studiren in Halle Philologie, der dritte daselbst Theologie. Ostern 1829. August Fritsch aus Quedlinburg mit Nro. II. H. C. W. Potel aus Roßla mit Nro. II. Chrstph. A. G. Törmer aus Ermsleben mit Nro. II., studiren in Halle Theologie. Außer diesen Abiturienten gingen ab: a) aus Prima: J. Fr. G. Rannefeld aus Quedlinburg; A. W. Tornau aus Ermsleben; H. Chr. Brücke aus Quedlinburg, ins Seminarium zu Halberstadt; Jul. Theod. Berner aus Schneidlingen zu einem noch unbestimmten Berufe; G. Alb. Schitkewitz aus Wernigerode, wurde Privatschreiber. b) aus Secunda: J. H. Rohden aus Quedlinburg ging zur Oekonomie über; Conrad Müller aus Quedlinburg ins Seminarium zu Halberstadt. c) aus Tertia: J. Friedr. Theodor Carl aus Quedlinburg, um Buchhändler zu werden; Hermann Gottfr. Hecht aus Quedlinburg, wird Mechanikus; H. G. Hermann Palm aus Quedlinburg, wird Kaufmann; A. Ch. Ludw. Erxleben aus Blekendorf zu einem noch unbestimmten Berufe. d) aus Quarta: Marcus Volkstein aus Quedlinburg, wird Kaufmann; Herm. Schwarz aus Halberstadt, wird Buchbinder; K. A. Dilge aus Quedlinburg, erlernt die Malerkunst; A. H. Christ. Rose aus Quedlinburg, wird Kaufmann; G. Chr. W. Frick aus Magdeburg, wird Kaufmann. e) aus Quinta: Friedr. W. Pape aus Quedlinburg, wird Kaufmann; Friedr. W. Hesse aus Quedlinburg, wird Zinngießer; Friedr. K. Rudelof aus Quedlinburg, wird Conditor; H. Ch. Ernst Kniep aus Quedlinburg, wird Knopfmacher; J. W. Ludw. Busch aus Quedlinburg, ward Schreiber; Ch. A. Aug. Palm aus Quedlinburg, wird Kaufmann; H. Ferd. Daniel Sprenger aus Quedlinburg, wird Schuhmacher; Leop. W. Stech aus Quedlinburg, wird Instrumentenmacher; J. Gottfr. Mittag aus Quedlinburg, wird Schmied. f) aus Sexta: K. Andr. Mähnert aus Quedlinburg, wird Barbier; H. Georg Meck aus Halberstadt, A. Martin Vollmer aus Quedlinburg und K. Aug. Fischer aus Halle, gingen zurück zur Bürgerschule. In Summa 35.

4. Lehrmittel.

Die Schulbibliothek wurde auch in diesem Schuljahre theils durch Ankauf aus ihren Fonds,

theils durch einige werthe Geschenke vermehrt. Angekauft wurden die Fortsetzungen von *Eustathii* comment. in Iliad. Tom. III. u. V., von der allgemeinen Encyklopädie von Ersch und Gruber; von dem naturhistorischen Atlas von Goldfuß. Vergleichendes Wörterbuch der alten, mittlern und neuen Geographie von Bischof und Möller. Von der Geschichte der Europäischen Staaten, herausgegeben von Heeren und Ukert; die Geschichte der Deutschen von Pfister, 1. Bd. und Geschichte von Italien von Leo, 1. und 2. Bd. Die Fortsetzung von Heerens Werken, Theil 15. — Von Einem Königl. Hochpreislichen Ministerio erhielt die Bibliothek: 1) den dritten Band von der Geschichte der Staatsveränderungen in Frankreich unter Ludwig XVI. 2) Von Schölls Geschichte der Griechischen Litteratur, deutsch bearbeitet von Schmidt, den ersten Band. Auch erhielt abermals die Bibliothek ein werthes Geschenk von dem Herrn Pastor und *Dr.* Becker allhier: 1) dessen Verdeutschung der Schrift des Dionysius von Halicarnaß: Ueber die Rednergewalt des Demosthenes. 2) *Xenophontis* scripta ed. a Benj. Weiske, 6 Voll. Eben so schenkte ihr Herr Cantor Göroldt die ersten Hefte seiner für den Schulgesang gesetzten Choralmelodien.

5. Öffentliche Prüfung.

Am 28sten September werden in folgender Ordnung geprüft werden:

Vormittags von 8 — 11 Uhr.

1. Prima im Lateinischen (*Horatii* carmina) von dem Rector.
2. Dieselbe Klasse in der Geschichte von dem Prorector Ihlefeld.
3. Dieselbe Klasse im Griechischen (*Herodotus*) von dem Conrector Ranke.
4. Dieselbe Klasse in der mathematischen Geographie von dem Subrector Schumann.

Nachmittags von 2 — 4 Uhr.

1. Secunda im Lateinischen (*Livius*) von dem Conrector Ranke.
2. Dieselbe Klasse in der Mathematik von dem Subrector Schumann.
3. Dieselbe Klasse im Französischen von dem Collab. Heinisch.

Am 29sten September.

Vormittags von 8 — 11 Uhr.

1. Tertia im Lateinischen (*Ovidii Met.*) von dem Prorector Ihlefeld.
2. Dieselbe Klasse in der Geschichte von dem Collab. Friese.
3. Quarta im Lateinischen (*Phaedrus*) von dem Subrector Schumann.
4. Dieselbe Klasse in der Arithmetik von dem Collab. *Dr.* Schmidt.

Nachmittags von 2 — 4 Uhr.

1. Quinta im Lateinischen von dem Collab. Friese.
2. Dieselbe Klasse mit Sexta verbunden in der Geschichte von dem Collab. *Dr.* Keseberg.
3. Sexta in der lat. Elementargrammatik von demselben.